

LAUDATIO FUNEBRIS  
ILLUSTRISSIMI AC REVERENDISSIMI D. D.  
**D. RAYMUNDI CAMACHO,**  
DIGNISSIMI  
QUERETARENSIS DIOECESeos OLIM EPISCOPI.

ORATIO  
QUAM IN CATHEDRALI ECCLESIA

*P. Agnatus Altamirano.*

EJUSDEM ECCLESIAE CANONICUS,

HABUIT

VESPERASCENTE DIE VIGESIMA NONA JULII

ANNI DNI. MDCCCLXXXV.



LAUDATIO FUNEBRIS  
HABITA IN REVERENDISSIMO  
D. HENRICO CANTUARI  
EPISCOPO  
PUBERTATIBUS ANNI EPISCOPI  
DUM IN OBTINENDI  
D. Henricus Cantuariensis  
EPISCOPUS  
DUM IN OBTINENDI  
D. Henricus Cantuariensis  
EPISCOPUS

Magna est gloria ejus in salu-  
tuo: gloriam et magnum decorem im-  
pones super eum.

Ps. XX, vers. 6.

Illme. et Rme. Domine:

Venerabile Capitulum: Auditores charissimi:

**N**UM quidnam in moriturorum hominum rebus, quid-  
nam praesertim hac die haec dum mortis insignia,  
trophaeaque ob oculos moestissimè obversantur, vel glo-  
riæ nomen revocare queat: cum hisce omnibus nostræ ca-  
lamitatis iterum subeat imago, dolorisque vulnera vul-  
nere renoventur? Quid cum funere, gloria? Quisve de-  
tur verbis et orationi locus, dum apta omnia et opportu-  
na fletui? Anniversaria scilicet vice dum recurrit dies,  
quâ Pater optimus, vitæ dux et magister, filiis ereptus,  
fidissimisque discipulis; quâ Queretarensis Ecclesia dile-  
ctissimo, simulque amantissimo fuit viduata Sponso, ac  
validissimo destituta praesidio; summus dumque animis

ingeminatur dolor; et quaestibus tantum lachrymisque locus: quidni dolendum? quidve gloriae aditus, aut laudationi pateat?

At qua verò, sis, gloria magnorum fuerit summa bonorum: quae vitam, quae salutem, quae robur nedum perficiat, ne tueri quidem ac conservare valeat? quae filiorum lachrymis, quae Sponsae desolatione commutabitur? Nonne sic fit, ut maximum maximo detrimento comparetur? At verò, nec ingenium, nec virtus, nec ille demum qui immortalem vitam agere decebat, mortis jacula effugient? Omnia ergo vincet mors? Quaenam dabitur tanto vulneri medicina? quidve dolori tanto consolationis aut levaminis? cum beneficus, providus, vigilans, amantissimus Pater et Pastor, subito fuerit, uno momento temporis ereptus; spes denique ipsa recuperandi erepta!

Nobis autem in tantâ calamitatis aerumnâ, acerbissimo dolore confectis, praesentissimam ecce Fides consolationem affert: *Pretiosa in conspectu Domini mors Sanctorum ejus.* (1) Quid autem majori hominibus pretio, quidve optabilius eo, quod in conspectu Domini pretiosum?

Etsi igitur, ei qui doloris pondere obruitur, se ipsum liceat misero, suamque plangere aerumnâ; neque ex eo solo Deo ingratus, aut verae fidei exsors sit habendus: at fidei ipsius sibi in auxilium accurrentis fas sit vocem contemnere? nusquam dolori modus? Ac certè: dum mortis jaculis excelsa quaeque ictu oculi dejecta; ejus dum tenebris circumfusus splendidissima nuper jam obscurata jacent; dumque universa hominum tamquam signum, in quod mors ejaculetur, propositum: terrena quisquis au-

(1) Ps. CXV, vers. 15.

cupat, vitamque enerviter ducere gestit, ejusmodi territus spectaculo animum exuat; aut caduca jamque labentia quamdam festinet in rabiem actus arripere frustra. Isè converso, qui ad coelum oculos intendere, coelestibusque pasci delectatur: eo potius erigitur, roboratur, atque fidei lumine sibi praecunte, ad vitam ipsam, vitaeque principium, ad divina planè mysteria contemplanda rapitur! Quantumque jam mortis ipsis è tenebris lumen splendet! Nonne, vel superioribus mentibus dignum sit spectaculum intueri, ut vix dum mors exultare partâ victoriâ cepit, ipsa tandem velut umbra evanescit; vitaque non justo erepta, sed vitae ipsius cumulata plenitudine et perfecta! Ut, qui insipientium oculis visi sunt mori, eosdem Dei gloria suo sinu exceptos recreat, ubertate inebriat, splendore circumdat! *Pretiosa in conspectu Domini mors Sanctorum ejus.*

Quaenam autem vel ardua semita forsâ, aut ignota, quâ ad ejusmodi exitum perveniatur? Nonne pro Dei gloria susceptus labor, ea tuta, ac regia demonstratur via, quâ solâ liceat ad vitam ingredi, nullis usquam temporum intervallis definiendam, non amplius mortis subjiendam imperio? Cum autem pro Dei gloriâ libenter laborem susceptum fortiter tulit justus, numquid aliud egisse credatur, quam omnem suam in Domino salutari gloriam reponere; ut, cum ex hâc tandem fuerit morte potius, quam vitâ, feliciter ereptus, gloriâ decoretur aeternâ? Nec, amplissima quamvis, frustrabitur spe. Ipse enim, Dei affante Spiritu, Psalmista ad Dominum alloquens, et de justo disserens, ait: *Magna est gloria ejus in salutari tuo: gloriam et magnum decorem impones super eum.* (1)

(1) Psalm. XX, vers. 6.

Ad tantum igitur christianae fidei documentum animo intendentes, Illmi. ac Rmi. D. Doctoris D. Raymundi Camacho, qui quàm egregiè Queretarensi Ecclesiae Episcopus quindecim annis praefuit, praeclarae vitae cursum, etsi, pro temporis angustia, pressim, in memoriam revocemus. Unde, et maxima in doloris nos aerumnâ consolatio recreabit; eximiumque nobis ad vitae imitationem propositum exemplar intuebimur. Illud demum ratum compertumque habebitur: Deum scilicet, quemadmodum illis verè aureis fidei et charitatis saeculis, quorum adhuc moribus quasi impressa vestigia feliciter remanent: sic nostris quoque coeteroquin miserimis temporibus Ecclesiae suae non deesse; sed eam coelestis sapientiae sideribus fulgentiori lumine splendentibus usque decorari misericorditer providisse.

Utinam verò ita et rerum delectu, et ipsarum expositione procedere daretur feliciter, ut nec vestris auribus gravem, nec tanto Viro indignam laudationem contexerem! Quod si, pro ingenii tenuitate, et temporis angustia, ipsâ praeterea rerum ubertate, fatebor enim, deterritus, minus praestare valeam: cum id non voluntati, sed necessitati tribuendum; incomptam licet, orationem benignè, pro humanissimo vestro more, accipiatis.

DEUS, à quo omnis sapientia, rerumque hominis bonum; Deus, omnis gloriae fons et principium, ex quo verae nobilitatis splendor: id providit, ut ex iis parentibus Noster Raymundus nasceretur, qui avitae pietatis ac Religionis laude, antiquâ morum probitate, gravitate ac simplicitate conspicui florebant. Cujus puerilis institutio, ut suavissimâ Dei providentiâ ferè contingit, optimae matris sollicitudini maximâ ex parte commissa, id ab eâ

obtinuit, quod nisi à matre christianis moribus praeclara, sperari minimè detur, aut perfici. At verò, quid non ab eâ verè forti muliere, in quâ virilis fortitudo, femineaque suavitas et gratia ita feliciter conjuncta, ut si quid arduum, vel imperio, vel prece tantum injunctum, et illud obedienti facile sit, et istud reverenti quasi jussum? Itaque generosiori indole et praeclaro ingenio puer, optimorum parentum exemplo ac monitis se virtute vel à teneris annis exercens ad eamque virili fortitudine proludens, litteris ac scientiis informandus in patriae Provinciae Urbem primariam mittitur; et viro non minus ingenii ac doctrinae, quàm egregiae virtutis laude praeclaro, patruo nempe suo, D. Doctori D. Joanni Nepomuceno Camacho, Guadalaxariensis Cathedralis Ecclesiae Canonico, à parentibus commendatur. Cumque eum non modò ut fratris, sed etiam ut suum filium vir egregius suscepisset; cumque tum pro more suo, tum etiam pro eximia pueri indole, liberaliter tractasset; id illicò assequutus est, ut ejus sibi animum arctiori charitatis vinculo devinciret, eumque sui sedulum imitorem efficeret. Ut autem hisce in omnibus, tum viri eximii, tum pueri, tum etiam parentum generosior indoles sese prodiderit! Hoc enim proprium sibi generosus vindicat animus, ut ad optima quaeque et ipse eniti, et alios oblectetur contendere: ut occasionem sibi oblatam arripere festinet, cum adest; quaerere, si absit: quin etiam, ut aliis illâ sibi ultro obviantibus gaudeat; causamque illis offerri, et stimulos addi, et necessitatem quadamtenus imponi summopere delectetur. Cum igitur, et parentum consilio et adhortatione; et patrum exemplo, moribus, amore et vigilantia prorsus paternâ; et ipsius pueri virili consilio id jam perspicentis, se, in optimis si enutri-

retur à puero, optimè etiam et laudabiliter in posterum vitam traducturum; Dei verò præcipuè ea disponentis nutu, omnia simul forent adeo feliciter incepta: jam hisce auspiciari licebat exitum consecuturum felicissimum.

Verum enimvero, sicut ii, qui in prædurâ exercentur palaestrâ, in hoc omni animi studio, omnique exercitatione contendunt, ut in dies ferè singulos corpori vires, robur, agilitas augeatur: ità etiam iis, qui doctrinae ac virtutis oblectantur studiis, maxima inest sollicitudo, ne momento quidem temporis ad ampliora progressus retardetur: imò, ut acriori in dies animo, menteque promptiores et expeditiores ardua quaeque vincere, et ad præfinitam sibi metam contingere valeant.

Nonne hisce Nostri Raymundi vel puerilis aetas et adolescentia fideli quasi imagine adumbratae?

Namque, ut primùm studiorum viam ingressus, ea quae alios, ut plurimùm, à progrediendo deterrent, impediuntve: ille acerrimâ suâ ingenii vi facillè corripens, illius in posterum scientiae acquirendae fundamenta jacere satagebat.

Humaniorum igitur studiorum curriculo feliciter emenso, in hac linguâ, ità ut omnium litterarum ditissimâ, sic et nobilissimis quibuscumque studiis, majoribus et ipsis facultatibus excolendis aptissimâ, imò et necessariâ: adeo est progressus, ut cum postea Oratio studiorum inauguralis in Seminario, et ea quae in patriâ Universitate singulis annis in Angelici Doctoris laudem proferri solita, ei fuissent commendatae, ab ipsoque habitae: ejus, tum in dicendo vis et copia, tum latinè loquendi peritia, omnium non modò approbaretur suffragiis, sed etiam laudibus extolleretur amplissimis.

Quid verò de reliquo studiorum tempore? Quando-

quidem ne diem unum deperire passus, in philosophicas disciplinas sedulâ exercitatione incumbens, publicasque theses singulis labentibus annis egregiè sustinens: et suis in hujusmodi palaestrâ magistris laborum fructum referebat acceptum; et sibi copiosam cognitionum segetem parabat. Quâ ad superiores disciplinas plenius et commodius accinctus, in Theologicis ità profecit, ut cum patriâ in Universitate Theologiae Cathedra moderatore vacaret, Noster Raymundus ad illud muneris exsequendum illico ut omnium aptissimus eligeretur. Cum verò integro anni spatio se illi muneri obeundo dedidisset: in Seminario tum latinae linguae Professor, tum Philosophiae ac Theologiae Moralis studiis moderandis praefectus: quantum et magistris caeteris, et Superioribus fuerit acceptus; quantum virtuti et scientiae sedulam sine intermissione operam navans, junioribus exemplar praelegeret: quamque solerter, ut alumni sibi commissi ad optima quaeque assequenda contenderent, nec frustra, adlaborârit: cum et Superiorum de eo existimatio, quibus mira vel ipsâ experienciâ ducente ad idoneos cuique muneri dignoscendos dexteritas: tum honorificentissima de eo prolata coaevorum testimonia satis superque evincunt.

Neque his illum superbire prosperis pertimescendum. Qui, ut posteriori tempore demonstrandum erat, neque in adversis animo dejici solitus; qui non ad dexteram, non ad laevam deflectere; qui non supra se extolli, aut falsâ rerum imagine inaniter pasci; sed prudentiae viis insistere; ibique, Dei ubi nutu provisum, consistere, et quodam quasi humilitatis pondere subsidere in deliciis habebat.

Neque ideo mirari quis debeat, si, cum aliis id saepissimè contingat, ut praepeti studiorum spatia satagant

cursum dimetiri, quò ignavè deinceps ac remissiùs se habentes, et saeculi illecebris capti, jamjam litterarum valedixisse videantur: Noster, neque ignavià victus, neque inanum rerum cupiditate illectus, de iisque clariore in dies fulgens triumpho: ad sublimiora singulariter à Deo vocatus, eam omnium optimam, sibi quae nunquam auferendam partem eligens, à Domino, prout olim Salomon, assiduam praece deponere sapientiam.

Perspiciebat scilicet sublimiori ingenio adolescens, quamvis humanarum rerum sollicitudinem, nisi veritati ac bono impensam, plurimum esse in rebus inane: adeo autem esse hominis miseram conditionem, ut quocumque se convertat, ubique insidiae, ac laquei, undecumque pericula; à quibus, vana quisquis aucupat gaudia, vanisque saeculi inhiat honoribus, difficillimè is, nec, nisi extraordinariam opitulante gratiam, sese expedire quiverit.

Divina igitur de statu sibi deligendo voluntas ut sibi patefieret: quantum et charitatis operibus instans, et oratione ac lachrymis deprecator assiduus! Quam saepe, quantumque filiali prorsus amore ac reverentiam erga Beatissimam Dei Genitricem affectus, id ab eam enixè efflagitabat, ut in illa omnium ardua maximè rerum, sibi non deesset; opem imò dignanter afferret praesentissimam, sua ut sibi vota feliciter succederent! Quantum, ut id assequeretur, devotionis vi, et orationis assiduitate contendebat! Ut non immeritò illi obvenerit quod Dominus Noster Jesus Christus implicitè pollicitus est, cum ait: *Regnum coelorum vim patitur, et violenti rapiunt illud* (1). Cùmque et interiorum Dei collustrante gratiam, et exteriorum Superiorum voce adhortante, ille se tandem ad Sacerdotale officium vocatum senserit: quacumque de-

(1) Matth. XI, vers. 12.

num anxietate deposita, et pro Dei gloriam laborare exaestuans, servatis temporum intervallis ab Ecclesia praescriptis, ipse in Domini pace et gaudio spiritus, maximam piorum hominum gratulatione, Sacerdotali dignitate decoratur.

Jam verò ex eo praecipue temporis momento, quam potenter ejus virtutis lux intuentium animos ad sui imitationem accenderit! Quod cum facilius detur intelligi, quam verbis explicari, id unum commemorabo. Quod cum scilicet, dum ad Sacerdotium eveheretur, in Seminario simul Professor existeret; adeo sese utriusque muneris officiis exsequendis non modò parem, sed etiam in dies singulos aptiorem ostenderit, ut et Sacerdotum et Professorum gemma meritò haberetur.

Mox igitur gravissimo Antistitis sui judicio idoneus inventus, qui in partem pastoralis sollicitudinis cooperatur adsciretur: jam Parochus, quanta in populum sibi commissum horis ferè singulis beneficia contulerit, imò verò profuderit: quisquis ejusmodi parochialia officia, tot, tamque varia, et absolutis numeris obiri difficilia, simul ac noverit, perspiciet. Cùm Vir praeclarus, ut aliàs alia, sic tunc Pastoris munia adeo implendo solerter studuerit; ut jam in Parocho futurus, idemque egregius, Episcopus non admodum obscure prospici liceret.

At enim tantum verae sapientiae lumen, unum tantummodo Dioecesi, cum etsi feliciter, hactenus tamen circumscriptum quasi in orbem praeluceret, non amplius Dei nutu concessum: quin ad ipsius Dei gloriam, in caeterarum Diocesium bonum, novo quodam splendore coruscans, claritatis suae radios emittere oportebat. Itaque, cum in Mechoacanensi Ecclesia jam diu esset, quo Magistralis Praebenda vacaret: Noster Raymundus, qui jam in

Sacrâ Theologiâ Doctorali laureâ fulgebat, ejusdem Ecclesiae Antistite invitante, ad id tandem adductus est, ut inter eos annumerari se et admitti postulet, qui ad eam obtinendam aderant. His igitur, quae de juris praescripto observanda forent, praemissis, ipsoque ad eandem rite electo: ubi primùm id ad patriam urbem, et ad plebem sibi commissam perlatum est, de Viro egregio sibi jamjam quasi eripiendo moeror et dolor cunctorum animos occupassent. Nisi quòd ex pluribus in dies clariùs emicantibus indiciis, id compluribus esset ratum compertumque: Deum scilicet, qui in electorum salutem, et Ecclesiae suae ab Oriente ad Occidentem usque diffusae bonum, tum prospera, tum adversa omnia dirigit, consilio providisse: ut, tum, cum omnia jam permisceri, et persecutionis rabies imminere videbatur; ille, qui tenebras ipsas coelesti lumine dissipare, quique in rectum salutis tramitem reducere devios, atque piorum animos in bono confirmare, utpotè sapientiâ ac fortitudine praestans, maximè idoneus, tum quidem Mechoacanensi Ecclesiae praestò adesset; tum verò, et qui jam merito afficiebatur honore, forsitan eundem ad ampliora divinitus etiam postero tempore vocandum, non improvidâ mente praesagirent.

In Mechoacanensis igitur Ecclesiae Senatum cooptatus, quam vitae rationem instituerit, quantoque in exsequendis sui Officii muniis studio Vir tantus se gesserit: vobis, Auditores charissimi, qui ejus in omnibus quae ad Dei gloriam conferrent, gerendis zelum, eumque secundum scientiam, optimè nôstis, non modò non obscurum, quin et facilè pro comperto habebitur. Sed, ut ex multis pauca meminerim: quanta ejus virtutis lux illico effulsit! Quantus ordinis, legumque observandi studium! Quàm ipse et in alios benignitate, et in seipsum severitate con-

spiciuus! Quid verò de eâ, quam rectam et prudentissimam expediendis in negotiis, consiliisque praebendis viam et rationem adhibebat! Quàm, ut aliàs, Officii munia solerter exsequeretur! quamtùmque et aliis, cum res postulet, opem ferre alacer animus ac promptus! Sed, qui primò inspicienti omne suum tempus aliorum temporibus transmittere videbatur: is rursùs, propiùs accedenti illud omne scientiarum litterarumque crederetur studiis insumpsisse.

Unde etiam id consequeretur opus fuit, ut non modò ob ingenii, officii, morumque suavitatem, et sociorum, et inferiorum animos sibi grato sensu, amore, reverentiâ devincherit, admirationeque suâ maximâ perculerit; sed gravissimo etiam Antistitis Mechoacanensis judicio eximiè probaretur. Quod, ut palàm fiat, primo, nec infirmo fuerit argumento, quòd secundo labente anno postquam in Moreliensem Urbem pervenerat, Noster Raymundus ab Illmo. illo Antistite, D. D. D. Clemente à Jesu Munguía, qui cum ingenii ac litterarum, tum prudentiae ac fortitudinis laude praeclarus, Ecclesiae ac Patriae decus effulsit: quique divinitus insigniebatur dono, ut ad quid maneris aptum cujusque ingenium primo quasi intueretur aspectu: Seminario Mechoacanensi regendo praeficeretur. Ut autem illum sic non modò honore fuisse affectum amplissimo; sed gravissimo etiam oneri subeundo delectum, perspiciatur: quaedam hìc in memoriâ revocare praestabit.

Jam saeculo decimo sexto, anno circiter quadragesimo, Illmus. D. D. Vascus de Quiroga, primus Mechoacanensis Antistes, apostolicis virtutibus praeclarus; ingenio ad ardua quaecumque in primis aptissimo; et ad veri nominis civilitatem populis recenter conversis inducendam, ac subitè et mirificis incrementis provehendam divinitus de-